

[1]

**DIVUS JOANNES NEPOMUCENUS
invictus Christi Martyr,
in silentio^a secreti confessionis et
in spe publicae canonizationis gloriosus**

Actione theatrale honoratus
ab Illustrissima, Perillustri, Nobili ac Ingenua juventute facultatis oratoriae
in collegio academico Soc. Jesu Pragae ad S. Clementem
anno MDCCI, mense Majo

PROLUSIO

Bohemia ob regni calamitates et maxime ob Regis improbitatem desolata sedet. Et licet eam Mercurius soletur spondens fore, ut felix sit, quando ignis et aqua inibunt amicitiam, ipsa tamen ex hoc vaticinio magis tristatur, cum judicet impossibilia appromitti.

[2]

**ACTUS
PARS PRIOR
JOANNES IN SILENTIO**

SCENA I.

Rex Wenceslaus IV. ex Joanne sciscitatur, quid Regina in sacra exomologesi secreto exponat. Negat ille se quidquam revelaturum, ea de causa in carcerem abripitur.

SCENA II.

Subitum Regis furorem admirati aulici disquirunt, ob quid Joannes indignationem incurrit. Edocentur ab ephebulo constantem illius in servando confessionis arcano taciturnitatem Regi bilem movisse.

SCENA III.

Joannes in carcere ingemit non propter illatam sibi injuriam, sed ob infraenam Regis curiositatem. Aulicum, ad retegendum confessionis secretum perverse incitantem, fortiter rejicit.

SCENA IV.

Ulpinus aulicus insinuat Regi svavitate potius quam vi expugnari posse Joannem. Promittit facile extractum se ex illo arcana omnia vino secretorum proditore. Placet

^a In margine *Isai: 30. v. 15 – Is 30,15: Quia haec dicit Dominus Deus Sanctus Israel si revertamini et quiescatis salvi eritis in silentio et in spe erit fortitudo vestra.*

consilium Regi, qui periclitari volens successum rei, Joannem ad mensam regiam proxime adesse jubet.

SCENA V.

Ephebi aulici de modo resciendi arcana, quae Regina confessione exponit, secum deliberant ea intentione, ut iis ad Regem delatis favorem sibi ampliorem demereantur.

SCENA VI.

Ad regiam mensam assumptus multisque blanditiis ad detegendum confessionis secretum nequicquam tentatus, silentarius Joannes nihil prodit. Itaque jussu Regis ab epulis ad tormenta abstrahitur.

SCENA VII.

Pacianus, dudum familiaris Joanni aulicus, vehementer dolet improsperam ejus sortem insanaeque Regis indignationi indignatur.

SCENA VIII.

Post tolerata fortiter tormenta Joannes e Caelo recreatur; exhibitaque Martyrum indigetum fortitudine, ad mortem jamjam instantem animatur.

[3]

SCENA IX.

Per internuntium e Primoribus quempiam Rex supremum solicitat taciturnitatem Joannis, quem cum tenacem secreti invenit, ira exaestuans in Moldavam praecipitari jubet. Ut evitet vulgi commotio, scelus in noctem differtur.

SCENA X.

Conatur Pacianus Joannem morti subducere, sed cum secum de modo id agendi deliberat, videt Christi Martyrem e carcere ad Moldavam abripi illique immersi.

CHORUS

Mathesis aquam morte Joannis recens sacratam contemplatur advertensque eam eo amplius ascendere, quo plus descendit; laudat Divinam Providentiam, quae pariter nonnullos humiliat, ut exaltet, demergit, ut sublevet.

PARS ALTERA JOANNES IN SPE

SCENA I.

Impietas applaudit sibi de oppressa in silentio Pietate Joannaea laudatque Noctem a collata fidei opera; et ut ne quidem *in spe* sit Pietas emergendi ad famam prio-

rem, severe obstringit Noctem, ne in lucem proferat opera tenebrarum a se perpetrata.

SCENA II.

E contra Caelum ad demonstrandam Joannaeam Innocentiam et illustrandum funus Martyris stellas suas in funalia submittit. Videt prodigium, sed nescit lumen insolitorum causam Praga.

SCENA III.

Moldava Caelestibus ignibus illustris, detersis lacrymis ob funus Joannaeum profusis, hilarescit, nympharum vero suarum lacrymas mutat in gemmas. Inde gemmifer Moldava creditur vatisbus.

SCENA IV.

Metuit Impietas, ne prodatur scelus oppressae a se Pietatis Joannaeae, et cum non satis fidat Nocti, subornat Mendacium, quod Joannem ob scelus submersum esse calumniouse proclamet.

SCENA V.

Conatur quidem Mendacium Joannis famam calumniis denigrare ac persvadere eum ob crimen quodpiam submersum esse, sed fidem non invenit. Omnia enim argumenta refutantur, tum Caelestibus prodigiis, tum humanis rationibus.

[4]

SCENA VI.

Patrata ad Joannaeum funus signa adjacentibus urbibus enarrat Moldava, quibus omnibus author est, ut Joannem *publicis honoribus* colant. Edictum hoc suum optat obsignari *annulo Piscatoris*. Quod id eveniet, vivunt urbes *in spe*.

SCENA VII.

Fama jubetur per exterias etiam provincias laudare vitam, mortem et maxime *silentium* Joannis. Reluctatur diu Fama adversum sibi silentium commendare, ubi tamen ad id a Virtute invitatur, celebrat silentium appensis ingeniosis symbolis.

SCENA VIII.

Decantant artifices inter labores pro Joannis honore susceptos virtutes Martyris. Alii Joannem ab eximia concionandi dote *Vocem* dicunt, alii a servato sacramenti

secreto *Silentium* nuncupant, alii utrumque ceu ignem et aquam sidera combinant.

SCENA IX.

Evocatae per Famam vicinae provinciae ad Joannaeas exuvias accurrunt easdem veneraturae, addito voto, ut Roma accessu suo honoris coronidem addat. Interea Joannes in sepulchro suo glorioso requiescit *singulariter in spe*. Psalmus 4.^b

SCENA X.

Bohemia dum videt in funere Joannaeo ignem et aquam iniisse amicitiam, concludit jam tandem adesse tempus, ubi ex dato vaticinio felix sit. Unde in eo tota est, quomodo veneretur Sospitatem suum Joannem.

EPILOGUS

Joannaei clientes optant, *ut in* Joannem etiam *magnae flectantur lumina Romae*. Statius li. 5. Sylvarum, od. 1.^c

A. M. D. G.

Scena X. Unde in] Unde in in *DJI*.

^b Ps 4,10: *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituesti me* (Weber/Gryson iuxta LXX emendatus); *quia tu Domine specialiter securum habitare fecisti me* (Weber/Gryson iuxta Hebraicum translatus).

^c Statius, Silvae 5,1,217: *in hunc magnae flectuntur lumina Romae*.

jiní ho kvůli zachovanému posvátnému tajemství nazývají *Mlčením*, další spojují oboje, stejně jako hvězdy spojily oheň a vodu.

9. SCÉNA

Sousední země svolané Pověstí se sbíhají k Janovým ostatkům, aby jim vzdaly úctu. Připojují přání, aby se přidal i Řím a dodal tak poctám korunu. Mezitím Jan odpočívá v *neobyčejné naději* ve svém slavném hrobě. Žalm 4.¹⁰

10. SCÉNA

Čechy vidí, že se nad Janovým tělem sprátelil oheň s vodou. Usoudí tedy, že již nastal čas, kdy mohou být šťastné, jak jim předpověděla věštba. Za to všechno pak velebí svého ochránce Jana.

EPILOG

Janovi příznivci žádají, *aby se na Jana obrátily i oči velkého Říma*. Statius, Silvae, 5. kniha, 1. óda.

K větší slávě Boží

¹⁰ Zde autor pracuje s mnohoznačností slovního spojení *in spe*, jehož využitím nejen přeje Janovi pokojné odpočinutí v hrobě (Ž 4,9: *Pokojně uléhám, pokojně spím, neboť ty sám, Hospodine, v bezpečí mi dáváš bydlet*), ale vyjadřuje také to, že lze s nadějí očekávat jeho kanonizaci.